


**05**

**A**

**2309**









K 8572  
Q. D. B. E. 7.

DISSERTATIONEM  
Ad §. 46. J. De R. D.

De

REBUS PRO DE-  
RELICTO HABITIS

PRÆSIDE

VIRO MAGNIFICO

DN. CASPARE ZIEGLERO,

Jcto clarissimo, Potentissimi Electoris Saxoniae Consi-  
liario, & Facultatis Juridicæ Ordinario maximè  
meritò,

*Domino & Patrono suo observantissimè  
colendò,*

Publicæ & solenni disquisitioni  
exponet

*Ad d. VIII. Maji In Audit. Jctor.*

AUTOR

Gottfried BENEDICTUS Dres.



WITTENBERGÆ,

Typis MATTHÆI HENCKELII, ACAD. TYPOGR.

ANNO clō 13c LXXXVI.



ILLUSTRISSIMIS ET EXCELLENTISSIMIS  
in togâ Heroibus

DN. CAROLO  
LIBERO BARONI



à Friesen/

Dynastæ Rôthavii, Cottæ, Rubenii,  
& Gaschviziï, &c. &c.

Serenissimi & Potentissimi Electoris  
Saxonix in Senatu Sanctiori Senatori,  
Supremi Consistorii Ecclesiastici,  
& Curix supremæ Lipsiensis Præsidi,

DN. HAUBOLDO

à Miltitz /

Dynastæ Scharffenbergæ & Kroppenii,  
Potentissimi Electoris Saxonix Consiliario Statûs in-  
timo, Circuli Misnenensis Capitaneo supremo,  
& Ararii, reddituumque Electoralium  
Directori,



DN. HENRICO GEB-

HARDO à *Wiltitz* /

Dynastæ Burckersdorffii, Gavernizii,  
Stöschizii, Zehestæ &c.

Potentissimi Electoris Saxonis in Se-  
nату sanctiori Senatori, & Cancel-  
lario summo,

DN. MAURITIO HEN-  
RICO, LIBERO BARONI

à *Wiltitz* /

Dynastæ Bazdorffii, Robschizii &  
Neukirchî, &c.

Potentissimo Electori Saxonæ ab  
Aulæ, atqve Justitiæ consiliis,

*Dominis meis gratiosissimis.*





**I**llustrissimis Nomi-  
nibus Vestris , quæ laude  
prudentiæ immortalis, virtu-  
tumque maximarum famâ cives pari-  
ter ac externos in admirationem rapi-  
unt, me clientem exhibeo, & pagellas  
aliquot offero dedicoque. Quod ut  
facerem non fiducia mei, non mate-  
riæ dignitas me impulit, sed pietas  
summa, & veneratio, & fides obsequii,  
quô



quò vobis obstringor, me excitavit.  
Sive enim recordor labores Vestros  
pro Republicâ susceptos, quorum  
magnitudo omnem dicendi uber-  
tatem superat, sive æstimo aucto-  
ritatem patrociniî Vestri, quò Patrem  
meum adhuc complexi estis, utrum-  
que ejusmodi est, quod subinde & se-  
riò me admonet, ut ad religionem ani-  
mi cultumque devotissimum vobis  
approbandum modis omnibus eni-  
tar, atque contendam. Equidem non  
ingrediar, omnes partes meritorum  
Vestrorum, quibus patriam commu-  
nem Vobis obstrinxistis, figillatim ex-

) ( 3

po-



ponere, vel attingere saltem, cum  
multitudine splendoreque suo aciem  
mentis etiam præstantissimæ præstrin-  
gant; tacitus tamen præterire non  
possum insigne illud & planè inusita-  
tum patrocinium, quo omnes divinæ  
pariter atque humanæ sapientiæ par-  
tes ornare atque tutari soletis, ut  
dici verè possit, cum vestrâ incolumi-  
mitate omnis studii, doctrinæque li-  
beralis dignitatem esse conjunctam,  
quæ magnis subinde beneficiis cumu-  
latis, dignaque censetis, quæ animis at-  
que omni curâ vestrâ complectamini.  
Quocircâ nemo unquam eorum, qui  
lite-



literis operū impendunt, tam ingratus,  
nullaq; posteritas tam iniqua erit, quin  
& sanctè meritorum Vestrorum me-  
moriam colat, Nominaq; Vestra per-  
petuò admiretur. Ego verò eà quā de-  
cet, animi submissione rogo, petoq;  
ut hoc quaecunq; pietatis & obsequii  
pignus, quod demissè & humiliter ad-  
fero, benignè accipiatis, & posthac me  
quoq; Clientem VOBIS subje-  
ctissimum auspicio favoreq; Ve-  
stro summo tuendum suscipiatis. De-  
um immortalem oro religiosè & vene-  
ror, ut Vos, in quibus omnium præsi-  
dium



dium positum est, quàm diutissime ser-  
vet, & valetudinem prosperã, felicita-  
temq; stabilem omni tempore cumu-  
latisimè Vobis largiatur.

*ILLUSTRISS. NOMIN. VESTR.*

religiosâ veneratione & humillimâ  
parendi lege Cliens

Gottfried BENEDICTUS Kref.





## INGRESSUS.

**D**ifficilis, multisque controver-  
sis implicata quæstio est, quæ de domi-  
nio rerum acqvirendò, amittendòve  
instituitur & agitur, nec ulla ferè Ju-  
ris pars est, quam graviori curâ discu-  
tiendam sibi Interpretes susceperint,  
& in quâ explicandâ majori studiò el-  
borârint. Quod non immeritò eos fecisse existimo, pro-  
pterea quòd in omnes Juris articulos ea sese diffundit, &  
multa eaque gravissima momenta complectitur. De  
quibus singulis cum multa accuratè copiosèque à Docto-  
ribus sint disputata, latissimè patere videntur ea, quæ de  
Derelictione rerum tradita ab eis & præcepta sunt. Hæc  
enim nisi cognita probè perspectaque fuerint, omnia ea,  
quæ de usucapione rerum integris voluminibus scripta  
sunt, nec, ut par est, intelligi, nec validis satis rationibus  
defendi possunt. Quare cogitanti mihi in quò nam po-  
tissimum argumento vires ingenii periclitarer, non abs-  
re me facturum videbatur, si de rebus pro derelicto ha-  
bitis pauca differerem, eaque quæ fusius passim de illis à  
Dd. exposita sunt, strictim, & per compendium veluti ex-  
plicarem. Quod institutum ut persequerer, rationi et-  
iam studiorum meorum convenire putavi, quæ in eò po-  
sita est, ut omni tempore ad ea, quæ utilitati in forò ali-  
quando mihi esse possint, respiciam, nec tamen ea, quæ  
ad solidiora juris fundamenta spectant, penitus negligenda

A

da



da existirem. Quæ causa fuit, ut, cum statuissem in e-  
laborandò themate aliquò operam ponere, eam mihi fe-  
egerim materiam, quæ nec merâ subtilitate inutilis, nec  
à Theoria Juris planè aliena esset. DEum immortalem  
precor, religiosèqve veneror, ut labori huic nostro adesse  
eumqve feliciter evenire jubeat. A TE verò L. B. peto,  
røgoqve, ut ea, quæ minus aptè congruèqve dicta Tibi vi-  
debuntur, boni consulere, exactioraqve ab iis, qui majò-  
ribus naturæ doctrinæqve præsiidiis instructi sunt, expecta-  
re velis.

§. I.

PLacet igitur, ut intelligatur, quid sit id, de quò futura  
nobis est disputatio, ante definire, quid sint res pro de-  
relictò habitæ; SUNT AUTEM EÆ ex *præscriptò Impe-  
ratoris §. 46. §. De R. D. QVAS DOMINUS EA MENTE  
ABJECIT, AUT DESERUIT, UT EAS IN NUMERO  
RERUM SUARUM ESSE NOLIT.*

§. II. Sequitur ex descriptione hâc, tales res ipsò  
factò derelinquentis nullius fieri, *L. 1. §. 2. π. Pro Dereli-  
ctò.* adeoqve derelictum hîc dici illud, quod caret domi-  
nò, & possessore, vel, ut rectius, & explicatius forte di-  
eam, quod dominum & possessorem habere desiit. Aliàs  
derelictæ res in *L. 4. C. De V. S.* dicuntur pro rebus legatis,  
sic derelictum in *L. 31. C. De inoffic. Testament.* & *L. 32. C.  
de Fideicomm.* idem est quod relictum: Aliò adhuc sen-  
su derelinquere injuriam dicitur is, qui injuriam passus ad  
animum eam statim non revocavit. *§. fin. §. de Injuriis & c.*  
Quæ utraqve significatio cum ab instituto nostro planè  
sit aliena, indicanda tantùm fuit ex veteri more, nec necesse  
est, ut diutius eidem immoremur. Illud obiter addo,  
parùm referre, utrum pro derelictò, an derelictui habe-  
re dicas, utrumqve enim rectè usurpari ex usu probatissi-

mo-



morum Autorum constat, *vid. Cic. L. 8. Ep. 1. ad Attic. Gell. Noct. Attic. L. 4. c. 12.*

§. III. Neque verò agendum in præsens nobis erit de Regnis, Provinciisque, quatenus eæ inter Gentes Principesque pro derelictis habeantur; sed sufficiet nobis, quid circa privatorum possessiones, earumque derelictionem obtinere possit, expendisse; Etsi enim utrobique causæ fundamentaque derelictionis ex iisdem ferè fontibus repetantur; Illud tamen eò difficilius definiri potest, quò majus in eò momentum vertitur, quòve graviores sunt circumstantiæ, quæ plerumque ibi occurrere solent. Accedit, quòd multa, quæ ad hoc negotium spectant, Lege Civili sint determinata, atque adeò ad Reges Populosque liberos applicari non possunt; *vide accuratè hic differentem Grot. de J. B. & P. L. 2. c. 4. n. 8. 9. 10. & 11.*

§. IV. Ut autem res pro derelicto habita censeatur, requiritur I. Primum, *ut quis rem suam amplius esse nolit* II. Tum, *ut quam non vult amplius suam esse, eam abjiciat, aut deserat*: alterutrum si desit dominium non amittitur. Fac ergò, rem à domino abjici aut desereri, non eâ tamen mente, ut eam à se amoveat, aut amplius suam esse nolit: nihil hic amittitur. Fac è conversò, nolle amplius suam esse, nisi eam abjiciat, aut, si immobilis est, ab eâ discedat hòc animo, ut eam amplius habere nolit, dominus esse non desinit. *Eckolt ad π. Tit. Pro derelictò n. 2. Hugo Donell. in Commentar. J. C. L. 4. c. 13. n. 30. Vinn. adh. §. n. 1.*

§. V. Maximum momentum hìc facit animus derelinquentis, qui uti ad rei suæ amissionem directus sit necesse est, ità externò quodam abjiciendi, aut deserendi factò declarari debet. Non possunt enim juris effectus,

A 2

qui



qui ab animò pendent, ad solum animi actum consequi, nisi is actus signis quibusdam extrinsecus apparentibus indicatus sit. Quà de causà etiam interni actus meri Legibus humanis non subjacent, *arg. L. 18. π. De Pœnis, Grot. de J. B. & P. L. 2. c. 4. n. 3.* Accedit & alia ratio, quòd scilicet iisdem modis res desinunt esse nostræ, quibus acquiruntur, *L. 153. π. de R. J.* Sicuti ergò occupatione eas acquirimus, ita abjectione, & desertione, si de immobilibus loquamur, amittimus, & sicuti in acquirendâ re corporali animus non sufficit, sed animo, & corpore simul opus est, *L. 1. §. 1. de A. V. A. P.* ita quoque in eâ amittendâ præter mentem & animum etiam aliquod corporale vel naturale factum requiritur, *Manz. in Comment. ad Instit. b. t.*

§. VI. In eò igitur conveniunt dominium & possessio, quòd ad utriusque amissionem non solus animus sufficiat. *L. 8. π. De A. V. A. P.* In eo tamen differunt, quòd ad dominium amittendum Lege imprimis Civili plerumque (universim enim id non obtinere ex iis, quæ inferius dicturi sumus, elucescet) factum aliquod corporale accedere debeat, possessio verò per quamcunque animi significationem amitti possit. *L. 17. §. 1. d. t. Struv. Exercit. 42. tb. 32.* Etenim dicta *Lex 17. §. 1.* non ita intelligenda, quòd nuda cogitatio effectum auferendæ possessionis habeat, sed animi declaratio verbis **UT QVISQUE CONSTITUIT**, intelligitur. Nam cum aliquid nudâ voluntate fieri dicitur, id de expressione ejus per signa externa accipiendum, *§. 7. J. Quib. mod. Testam. infirm. junct. L. 27. C. De Testam.*

§. VII. Ex dictis intelligi potest, pro derelicto nihil habitum censerì nisi ab eò, qui animum id amittendi habet: Sic servus pro derelicto non habetur, quem dominus in capitali causâ non defendit, *L. 9. π. De publ. judic.*  
quia



quia exinde animus derelinquendi servum colligi satis non potest. Et ideo certum est, quam quis rem invito amittit, eam manere in ipsius dominio. Est autem duplex invitum ex præceptis Ethicorum, PER IGNORANTIAM & PER VIM. Quod per vim nobis eripitur, id non fieri capientis res ipsa loquitur: Pariratione, qui hostium metu & terrore coactus res suas deseruit, animum derelinquendi habuisse dici non potest, nisi forte cessante metu ex longi temporis lapsu, aut aliis indiciis animus iste appareat. Incussus enim semel metus durare quidem non nihil creditur, sed non semper, & perpetuo, cum tempus longum multas occasiones sibi consulendi, animumque domini indicandi suppeditet. *Grot. de J. B. & P. L. 2. c. 4. §. 6.* Perinde quod non advertentibus, & ignorantibus excidit, id invito quoque amittere intelliguntur, nec domini ejus esse desinunt, *§. ult. f. De R. D.*

§. II. X. Locus hic nobis datur fusius paulo dicendi de rebus levandæ navis causâ in tempestate ejectis. Et hæc enim pro derelicto haberi non possunt *L. 9. §. ult. de acquir. rer. domin. §. ult. f. de R. D.* quia actus iste abjectionis ob naufragium imminens non est directus in domini amissionem, sed ad avertendum periculum. *L. 8. π. De L. Rhodiâ,* unde Javolenus in *L. 21. §. 1. π. De A. V. A. P.* Quod ex naufragio expulsus est, *inquit,* non est in derelicto, sed in deperditio: Estque insigne hic exemplum actionis mixtæ, quæ quidem ratione principii interni, quod est consilium evitandæ mortis, spontanea videtur, sed ratione causæ extrinsecus impellentis est invita & hinc facere non potest, ut res ejecta pro derelicto habeatur, *Magnif. DN. Ziegl. ad Grot. L. 2. c. 4. n. 5.* cum ad ejiciendum necessitas impulerit, nemo autem in necessitatibus liberalis esse, vel rem suam jactare existimetur, *Manz. ad §. ult. f. De R. D.*



§. IX. Proinde dubium non est, quin res istæ naufragii vitandi causâ ejectæ domini maneant. *L. 1. C. De Naufragiis*, tum etiam, quandò abiciens penitus eas perisse credit, quamdiu hunc animum retinet, ut, si contingat eas reperiri, cupiat sibi habere, prout disertè traditur in *L. 8. §. De L. Rhod.* Etenim non illicò si spes recuperandi projecta est, animus quòque domini projectus esse censerì debet, cum desperatio recuperandi cum desiderio habendi consistere possit, & quanquam spes deficiat, nihilominus hòc animò manere possit dominus, ut quandocunque res reperta fuerit, eam vindicare velit: Prætereà dominium sine causâ, qualis hic nulla est, & sine factò nostrò in alium transferri nequit. *L. 11. §. De R. 7.* & Ulpianus in *L. 44. De A. R. D.* rem meam à lupo vel ave ereptam ab aliò repeti posse tradit, etsi conspectum, & persecutionem meam effugerit, consequenter, etiamsi omnem recipiendi spem abjecerim. Si quis ergò ob hanc desperationem inquirere in rem cessaverit, vel desierit, eaque tamen inventa sit, nulla causa est, ob quam eam repetere non possit. Nisi dixeris, qui anulum vel gemmam casu amissam diu quæsiverit, & tandem tædiò vel desperatione destiterit, nec porrò curet, aut de eâ cogitet, hunc, si inveniatur, repetere gemmam non posse, quod incivile & iniquum foret. Quare glossa, quam fecit *Grot. de J. B. & P. L. 2. c. 4. n. 5. in L. dict. 44. De A. R. D.* à mente Ulpiani aliena est. *Dn. Ziegl. in Grot. d. i. Ulric. Huber. Position. Juris Tit. de R. D. Th. 51, & 52. & L. 4. Digress. c. 26.*

§. X. Sunt tamen multi, qui contrariam hìc sententiam tuentur, & ad stabiliendam eam argumentum petunt ex *L. 43. §. pen. §. De Furtis & c.* ubi dicitur plerumque



que eum, qui merces ex navi jecit, credendum esse derelinquentis animo id fecisse, cum eas scivisset esse perituras. Cui legi ut satisfaciant, eamque cum § *o ult. J. De R. D.* concilient multum & magnopere Dd. laborarunt. Etenim nonnulli, & inter eos Vinnius *ad dict. §. ult.* eumque secutus Huberus dic. loco Ulpianum ibi de jactu spontaneo loqui existimant, factum ab eo, qui simpliciter, nec urgente ulla necessitate res aliquas in mare projicit: Hunc enim in hac actione merè voluntaria credibile esse, pro derelicto velle habere id, quod videtur ut perituum jactare. Cui responsioni locus ipse suffragari videtur, 1. Primo enim ex fine §. *pen. dictæ Leg.* constat, Jctum distinxisse inter id, quod simpliciter, & non simpliciter jactatum est, 2. Deinde in § *o præc.* expressè de jactu voluntario agitur, idque in sequenti § *o* continuatur. 3. Tum quòque vox JACTARE, quæ ibi habetur, voluntarium jactum quodammodo innuit: Jactare enim significat profundere, sive non projicere, sed abjicere, sicuti cum vulgò dicitur ex *L. 25. pr. π. De Probation.* neminem censeri suas facile jactare pecunias. *Hilliger in Donell. L. 4. c. 13. l. C.* Hotomanus in §. *ult. J. De & D.* Jctos contrariè respondisse, & adversam Ulpiano sententiam in *L. 9. §. 8. De A. R. D.* veriorrem esse putat, quæ tamen conciliatio durior paulò videtur, quàm ut admitti possit. Menochius Connanum, & Aretinum secutus distinctè hinc procedendum, & tres casus distingvendos esse existimat: Aut enim in flumine quid naufragii vitandi causâ jactari, & id pro derelicto haberi non posse, cum plerumque accidat, ut recuperari soleat: Aut in mari quidem, sed non longè à litore naufragium contingere, & nec hoc casu id quod projectum est, pro derelicto habendum esse, propterea quòd nemo sit, qui non



non credat probabiliter, eum, qui prope littus maris naufragium fecit, eò animò res suas jactasse, ut illas recuperet: Aut denique mediò in mari procul à terrà jactum fieri, & tum demum, res ejectas pro derelictò habendas, deqve hòc intelligendam esse dicit *L. 43. §. pen. &. De Furtis*, & vocem **PLERUMQVE** ibi pro interdum positã autumat, ut hic sit sensus Legis, quòd interdum, seu aliquandò is qui mediò in mari res suas abjicit, derelinqvendi animò eas abjiciat. Ut probet assertionem hanc allegatum locum quendam Ciceronis ex *L. 2. de Inventione* ubi ita: *Fortuita sunt quæ plerumque* i. e. uti vult ille, *interdum eveniunt, non semper*, tum *§. 3. 7. De Action.* ubi vox plerumque pro interdum ab Imperatore usurpetur, vid. *Menoch. de Præsumtion. L. 5. Præf. 30. n. 16. seqq.* Sed vereor, ut explicatio hæc verbis mentiqve Jctorum satis respondeat. Quare etsi difficile sit de tam diversis Dd. opinionibus judicium, prior tamen utpote probabilior, & magis cum ipsò textu conveniens amplectenda mihi videtur, etsi eam ut ineptam explodat acutissimus aliàs Jctus Bachovius.

§. XI. Longior fui in lege hac explanandà, quòd facturus non fuisset, nisi tam frequens, & celebris ejus esset objectio. Veniamus jam ad cetera, & quoniam nonnulla dicenda restant de rebus à navigantibus projectis, breviter ea exponemus. Ostendi suprà res tales ob deficientem jactantis animum ad derelictionem earum directum manere in dominiò abjicientis. Quòd si verum est, suã sponte inde fluet, eum, qui illas fluctibus expulsas vel etiam in ipsò mari abstulerit, furtum committere, *L. 44. vers. Idem ait π. De A. R. D.* Sicut enim in derelictione, ob cessantem dominium retinendi voluntatem, abjicientis dominium extingvitur, ità ut res derelicta à quovis justè apprehendi possit, ità hòc casu dominium



minium penes projicientem manens injustam reddit al-  
terius possessionem. Nec quicquam hinc facit, sive scive-  
rit, sive nesciverit auferens cujus essent *L. 43. §. 4. De Fur-*  
*tis*, quia quod suum non est quilibet scire debet ad alium  
spectare. Limitationes tamen vide apud *Menoch. De*  
*Presumption. L. 5. Presumption. 50. n. 7. §. 15. Illic. Huber.*  
*L. 4. Digress. c. 27. Manz. ad §. fin. J. De R. D.*

§. XII. Facile hanc colligimus quid statuendum sit  
de Legibus consuetudinibusque, quæ bona naufragorum  
fisco vindicant. Etsi enim multarum gentium moribus  
institutaque ea receptæ, & approbatæ fuerint easque de-  
fendere non erubescat *Gramond. Histor. Gall. L. 16. p. 717.*  
*conf. Annot. Grot. L. 2. c. 7. n. 1.* attamen non immeritò  
*Grot. L. 2. de J. B. & P. c. 7. n. 1.* planè injustas eas appel-  
lat, propterea quòd compendium ex alienâ calamitate  
quærendum non sit, & nulla causâ præcedente dominium  
alicui suum auferre mera injuria censerî debeat. Unde  
& *Leges nostræ civiles* istam consuetudinem expressè dam-  
nant. *L. 1. C. De Naufrag. Authent. Navig. C. De Furt. & c.*

§. XIII. Expedivimus nunc ea quæ ad animum de-  
relinquentis pertinere videbantur, consequens est,  
ut videamus, quale factum, ex quò animus iste  
induci possit requiratur, de quo valdè inter Inter-  
pretes Juris Civilis, & eos, qui in explicandò natu-  
ræ & Gentium jure operam posuerunt, disceptatur. Sa-  
nè res extra omnem controversiam posita erit, si quis ex-  
pressis verbis animum derelinquendi indicet, sequæ rei  
alicujus dominium retinere nolle palam profiteatur. Fa-  
cile quoque erit judicium, si factò quòdam mentem eam  
prodat, tali tamen, quod statim & directò ad domini a-  
missio-

B

missio-



missionem tendit, & cum eâ animi destinatione necessa-  
riò conjunctum est, ut appareat, eum aliquid penes se  
amplius esse nolle. Sic qui rem quendam sponte suâ ab-  
jicit non repetiturus eam, pro derelicto eam habere velle  
non potest non existimari, uti patet ex jactu missilium,  
quæ propterea statim excipientis fiunt. §. 43. *J. De R. D.*  
Pari modò qui feras captas in naturalem libertatem dimit-  
tit, ex probabili maximè conjecturâ ob difficillimam per-  
secutionem statim eas pro derelicto habere creditur. *Grot.*  
*de J. B. & P. L. 2. c. 8. n. 3.* Aliquandò tamen animum de-  
relinquendi citrà declarationem intentionemque expref-  
sam & ab initiò proditam ex solò factò colligimus, ut si  
quis ancillæ suæ alimenta negaverit, *L. ult. π. Pro derelictò,*  
Summatim existimandum est, ut res pro derelicto habeatur,  
quodvis factum sufficere, imò quodvis indicium vo-  
luntatis, per quod ex consequenti tantùm animus dere-  
linquendi induci possit, nisi ea fortè sit rei circumstantia,  
ut temporis causâ, aut requirendi animò abjecta, aut de-  
serta esse censi debeat. Quod ipsum non ex Lege civili  
tantùm, sed & Jure Naturæ venit, utpote quò nemo per-  
hibetur, quò minus, quod suum est, abdicare possit, & ex  
naturali præsumptione, quâ voluisse quis creditur, quod  
sufficenter indicavit.

§. XIV. Non solùm igitur derelinquendi animus induci-  
tur, si faciat quis ea, quæ voluntatem domini amittendi de-  
clarant, sed & si omittat, & negligat ea, quæ ad ani-  
mum domini retinendi pertinent. Sub factis enim mo-  
raliter veniunt & non facta considerata cum debitis cir-  
cumstantiis sic e. g. qui sciens, & præsens tacet, certò modò  
videtur consentire, positis scilicet terminis habilibus, &  
nisi



nisi circumstantiæ svadeant, quò minus loqvatur metu eum vel aliâ ratione impediri. Equidem rem pro derelictò habere censendus non est, qui eam tractat negligentins, *Grot. de J. B. & P. L. 1. c. 4. §. 7.* longè tamen alia ratio erit, si quis rem ab aliò teneri sciat, nec quicquam contradicat multò tempore: Is enim non tantùm negligentia culpam incurrit, sed &, nisi alia causa manifestè appareat, non aliò animò id fecisse videtur, quàm quòd rem illam in rerum suarum numero esse nolit: Et hoc est, quod alicubi dixit Ulpianus ædes longò silentiò videri pro derelictò à domino habitas. *L. 15. §. 21. π. De damnè infectò, conf. L. 17. §. 1. π. De usuris.*

§. XV. Ut verò ad derelictionem præsumendam valeat silentium, duo maximè sunt necessaria, Quorum primum positum est in scientiâ derelinquentis; contra ignorantem enim nullæ quoad amissionem dominii præsumptiones valent. Ignorantia tamen non alia excusat, nisi sit facti alieni, utpote quæ justa est & probabilis *L. 42. π. De R. J.* Ignorantia verò Juris & facti proprii nullâ habet excusationem, quoniam qui vel jus vel factum proprium ignorat non pro ignorante, sed sciente habetur, cum utrumque injustum sit, ac non probabile. *L. 3. & 9. C. De LL. L. 12. C. De J. & F. J. Hugo de Roy De eò quod justum est L. 3. Tit. 8.* Alterum est, ut ne ad silentium vi aliquâ externâ coactus, vel casu aliò, quominus indicium dominii dederit, fuerit impeditus.

§. XVII. Quæ duo ut adfuisse censeantur variæ valent conjecturæ, sed temporis in utrumque magna vis est, uti de hõc eleganter differit *Grot. L. 2. c. 4. n. 6. seqq.* Et si enim tempus ex suapte naturâ vim nullam effectri-



cem habeat, attamen adversus præsumptionem, quã quis-  
que sua servare velle creditur, validior est altera, quod  
credibile non est, quoniam dominii, quod retinere cu-  
pit, longò tempore nullam planè edere significationem  
idoneam. Accedit, quod non improbabiler dici possit,  
hanc rem non in solâ præsumptione esse positam, sed jure  
gentium voluntario inductam hanc legem, ut, si quis pa-  
riatur rem suam per longissimum tempus ab aliò possi-  
deri, dominium ejus amittat: Credibile enim est, in id  
consensisse gentes, cum ad pacem communem id vel ma-  
ximè interit, *Grœc. d. l. n. 9.*

§. XVII. Tempus verò, quò derelictio effectum ju-  
ris accipit, non est definitum, sed arbitrarium, quan-  
tum scilicet sufficere videtur ad significandam derelin-  
quendi voluntatem. Lege tamen civili pro modò & dif-  
ferentiâ rerum, & pro varietate circumstantiarum certis  
terminis id est circumscriptum, quò spatiò elapsò dereli-  
ctio ipso jure præsumitur. Neque enim animum domi-  
ni retinuisse censeari potest is, qui cum legum hanc dispo-  
sitionem non ignoret, vel ignorare non debeat, tanto tem-  
pore res suas neglexit. Tempus verò memoriam exce-  
dens, (quod omninò à centenariò in his maximè termi-  
nis differt, *Carpz. P. 2. c. 1. D. 7.*) quasi infinitum est mo-  
raliter, & adeò ejus temporis silentium semper & omni  
jure ad rei derelictæ conjecturam sufficere videtur, nisi  
validissima sint in contrarium argumenta.

§. XVIII. Quæ eadem ratio facit, ut thesaurò etiã inter  
*ειρηνορα*, & res pro derelicto habitas numeretur. *Franzk.*  
*Ex. 4. Qv. 10. n. 3.* Etsi enim ea mens condentis non fute-  
rit,



rit, ut dominium ejus abjiciat; at tamen ex cursu tempo-  
ris immemoralis, qui idem quod factum abjectionis opera-  
tur, animus derelinquendi colligitur *Magnif. Dn. Ziegl.*  
*de J. M. L. 2. c. 20. n. 3.* & cum ignoretur thesauri domi-  
nus, id, quod non apparet, pro eo est ac si non esset. *Grot.*  
*L. 2. c. 8. n. 7.* Reverà ergò thesaurus morali æstimatio-  
ne res est nullius & naturali ratione inventori, seu ei, qui  
loco eum movit, conceditur, ubi cunqve eum invenerit.  
Si enim res pro derelicto habita, non ideò, quòd in alie-  
no agro inventa & occupata sit vel domini agri est, vel  
pro dimidia parte ei cedit; Si fera in naturali liber-  
tate oberrans occupantis tota sit, etiamsi in alieno  
ceperit, cur non & thesaurus inventoris? *Franzk.*  
*d. l. n. 4.* Jure autem civili ex æquitate dispositum est, ut  
domini fundi, in quò thesaurus inventus, vocentur in  
partes, cujus ratio hæc assignari potest, quòd bestia, quæ  
vagantur, nullo respectu magis ad agri, in quò sunt do-  
minum, ac alium quemvis pertinent, ut nec cetera in  
superficie soli reperta; Sed thesaurus magis afficit fun-  
dum, è cujus visceribus eruitur, in quò tot annos recon-  
ditus latuit, nec tantum fortunæ & industriæ sed & loci  
beneficium videtur: Cui accedit præsumtio, quòd ab  
antecefforibus præsentis possessoris reconditus videatur;  
Quin etiam uti dominium quòd quis habet in locò, in i-  
psam rei substantiam fertur; ita non minus ad omnia ea,  
quæ, licet ignorata, contenta tamen hæctentis in re istà  
fuere, quodammodo spectat *Magnif. & clariss. Dn. Ziegl.*  
*ad Grot. L. 2. c. 8. n. 7. Ulric. Huber. L. 4. Digress. c. 27.*



§. XIX. Per non usum etiam res pro derelicto ha-  
bita censerit potest, cujus insigne exemplum in jure no-  
strò, & nominatim in §. 23. *J. De R. D.* reperimus. Sta-  
tuitur enim ibi alveum desertum à flumine eorum esse,  
qui prope ripam prædia possident. Quod sanè dubium  
maximè videtur, propterea quòd flumen, & consequen-  
ter alveus tanquam pars ejus, à Populo occupata sint, &  
adeò nihil liquidius videatur, quàm alveum à flumine  
derelictum manere populi cujus fuit: Sic in æde sacrâ æ-  
dificiò dirutò locus sacer manet, *L. 6. §. 3. π De R. D.* &  
in privatis ædibus sublatò ædificiò area priorem conditio-  
nem retinet, ut sit & privata priorum dominorum, & si  
ante obligata domus fuit, etiam ara obligata mane-  
at. *L. 29. §. 2. π. de Pignor.* vid. *Hugo Donell. Com-  
ment. J. C. L. 4. c. 28.* Et secus tamen existimã-  
runt Jcti nostri, quos alii putant subtilius considerasse al-  
veum à populo occupatum, quatenus pariter cum eo sub  
aqvâ flumen constituit, sed cum detectus exaruit, non ef-  
se jam partem fluminis, ideoqve cessare tunc argumen-  
tum totius ad partes; At hanc subtilitatem à naturæ sim-  
plicitate alienam esse liquet satis, quòd is qui flumen oc-  
cupat non possit non occupasse censerit id, quod partem e-  
jus esse novit, nisi quis putet, eum, qui aream ædesqve  
impositas tenet, his dirutis aream desinere habere. Ve-  
ra ergò ratio in eò posita est, quòd Populus flumen occu-  
passe non videtur, nisi quatenus eo volebat uti, i. e. qua-  
tenus erat flumen; Ubi itaque desit esse flumen, desinet  
quoqve inntentio Populi, alveumqve fluminis pro dere-  
lictò habere videtur, quia non amplius utitur. Quod in-  
nuere videtur Celsus filius apud Pomponium in *L. 30. §.  
1. π. De A. R. D.* Cum exsiccatus est alveus, *inquiens,*  
pro-



proximorum fit, quia jam populus eo non utitur, nec vult uti, adeoque habet ut derelictum. Equidem obverti posset, quod hoc modo alveus desertus nullius fiat, & sic cuivis occupanti cedere debeat; Sed facile dubio huic occurri potest, si dicamus, probabile esse, & à Jure præsumi alveum istum derelictum ab eo primum occupatum esse, cujus fundo cohæret, utpote pro quod, ne ab alio prævertatur, summa ratio militat, cum secundum naturam sit, unumquemque sequi commoda ejus rei, unde damna, atque in commoda tulit, *vid. omnino Ulric. Huber. L. 4. Digress. c. 21. conf. Magn. Dn. Ziegl. de J. M. L. 1. c. 15. n. 12. Grot. L. 2. c. 8. n. 10.*

§. XX. Ceterum res omnes, quæ sunt in commercio, quæve ejusmodi sunt, ut à derelinquente alienari liberè queant, pro derelicto etiam haberi possunt, idemque planè est, sive res mobiles sint, sive immobiles, nisi quod illas abjicere, has deserere propriè dicamur. Res quoque Ecclesiasticæ, quo minus pro derelictis certâ & legitimâ ratione haberi possint, nulla juris ratio vetat, maximè cum & usucapio in iis locum obtineat. Illud speciale est in fundis Censiticis, quod si possessor eas deserat, intra biennium statim pro derelicto eos habere censeatur. *Franzk. L. 1. Resol. 7. n. 49. seqq.*

§. XXI. Quod ad personam derelinquentis attinet, debet illa esse instructa à Lege alienandi res suas potestate. Hinc qui non potest alienare, nec rem suam pro derelicto habere potest. Quod omnino dicendum erit de pupillo; Etsi enim is rerum suarum dominium reverà habeat, effectibus tamen quibusdam non Lege tantum sed &



& ipsa natura prohibetur, inter quos maximè est alienatio quæ in ipsa sui naturâ includit actum utentis ratione voluntatis, qualis in pupillo esse dici non potest. *Grot. de J. B. & P. L. 2. c. 3. n. 6. & ibi Magnif. DN. Ziegl. derelictionem verò specimen esse alienationis oppidò patere existimo.*

§. XXII. Superest, ut de effectibus derelictionis pauca subnectamus. Illud verò extrâ dubium est, post derelictionem legitimè factam dominium derelinquentis statim extingvi, & rem in nativam libertatem statumque eum, in quò primùm fuerat, redire, nulliusque adeò in bonis esse. *Grot. de J. B. & P. L. 2. c. 3. n. 19.* Unde sequitur, quod is, qui rem pro derelicto habitam animo sibi habendi apprehendit, dominium eius statim adipiscatur, modo derelicta sit ab eo, qui jus alienandi habet, quippe non dominus rem derelinquens usucapiendi tantum conditionem transfert. *Eckolt. Wesenbec. Hahn. ad Tit. 8. Pro derelicto &c.* Utròque autem casu de animo derelinquendi constare debet, qualis in dubio non præsumitur, cum nemo rem suam jactare temerè censeatur.

§. XXIII. Incidit hic quæstio, utrum jure occupationis, an verò quasi traditionis res pro derelicto habitæ occupanti cedant? Posterius affirmant *Carpz. P. 3. C. 31. D. 17. Strauch. Dissertat. Justinian. VI. num. 38.* prius tamen verius mihi videtur Vinnii autoritatem hâc in parte secuto. Equidem is, qui missilia in vulgus sparsa occupavit, ex voluntate Domini projicientis velut tradita sibi accepit, cum eum in finem projecta sint, ut sta-  
tim



tim apprehenderentur, & quantum apprehensum est, fieret apprehendentis. Sed eo animo non est ille, qui rem pro derelicto habet, quia is, quamvis intelligatur voluisse eam ejus fieri, qui primus eam occupavit, L. 5. §. π. Pro derelicto, non tamen eam mente eam abjicit, aut deserit, nec laborat, ut alius eam accipiat, quod facit is, qui pecuniam spargit. Sparsio species donationis est, & liberalitas, quâ, qui spargit, populum demereri studet: abjectione autem & desertione id tantum agitur, ut ne res amplius in bonis sit. *Vinn. d. §. 46. §. De R. D. Idem sentire videtur Grotius De J. B. & P. L. 2. c. 3. n. 19. ad originariam acquisitionem rerum pro derelicto habiturum occupationem referendo.*

XXIV. Ad extremum illud monendum est, si is qui rem antea pro derelicto habitam usucepit, eam postea iterum derelinquat, ad veterem dominum eandem non redire, cum nulla justa causa adsit, ob quam dominium, ei restitui debeat, quod per usucapionem planè fuit extinctum L. 13. *pr. π. de mortis causâ donation.* adeoque per alterius factum restitui non potest, *arg. L. 24. §. 5. π. de Fideicommiss. libertat. L. 8. §. 12. π. de Pœnis, &c.* id quod latius deducit, & exemplis pluribus illustrat Cujacius L. 21. *Observat. c. 8. conf. Eckolt. ad Tit. π. Pro derelicto, & ibi Svendendorff. Rittersbus. ad §. 46. fin. de R. D.*

C

CO.



## COROLLARIA.

I. Actio confessoria & negatoria de Jure civili pro Objecto habent solas Servitutes.

II. Distinctio actionum in bonæ fidei & stricti juris ex ipsâ contractuum naturâ orta, & hinc ea ad actiones tantum personales spectat.

III. Dolus causam dans contractui contractum bonæ fidei reddit ipsò jure nullum.

IV. Debitor exceptionem pecuniæ non numeratæ non oppo-

po-



ponere potest post biennium,  
etiāsi onus probandi in se suscipiat.

V. Ejus etiā, quod per errorem Juris solutum est, repetitio datur, si nulla subest naturalis obligatio.

VI. Objectum depositi sunt etiā res immobiles.

VII. Testamentum, in quō exhereditatio facta est sine elogio, non est ipsō jure nullum, sed per querelam inofficiosi rescindi debet.

Fi-



VIII. Filius feudum patris  
agnosceus totam ipsius heredita-  
tem agnoscere videtur.

IX. Per querelam inoffi-  
ciosae donationis non tota revo-  
catur donatio, sed tantum  
excessus.

X. Transactio non infirma-  
tur propter enormem laesionem  
ex L. 2. C. de Rescindend. ven-  
dit.

XI. Qui agit contra vici-  
num, in cuius aedibus ignis ex-  
ortus, probare tenetur ipsius  
culpam.

105(0)50



05 A 2309

ULB Halle  
003 791 653

3




VDA7











*K 857a* Q. D. B. E. J.  
DISSERTATIONEM  
Ad §. 46. J. De R. D.  
*De*  
**REBUS PRO DE-**  
**RELICTO HABITIS**

PRÆSIDE  
VIRO MAGNIFICO  
DN. CASPARE ZIEGLERO,  
Jcto clarissimo, Potentissimi Electoris Saxonæ Consi-  
liario, & Facultatis Juridicæ Ordinario maxime  
meritò,

*Domino & Patrono suo observantissimè  
colendò,*

Publicæ & solenni disquisitioni  
exponet

*Ad d. VIII. Maji In Audit. Jctor.*

AUTOR

**Gottfried BENEDICTUS Kres.**



WITTENBERGÆ,

Typis MATTHEI HENCKELII, ACAD. TYPOGR.

ANNO clō Ioc LXXXVI.